



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

538. An Pensionarius ratione pensionis teneatur ad residentiam vel servitium per se, vel alium præstandum in Ecclesia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

2. Respondeo ad secundum primò: Tenentur tamen hodieum ex constitutione Pij V. *Ad perpetuam rei memor.* quæ est in Bullar. novo 137. recitare quotidie officium parvum B. Virginis. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. l. 1. q. 45. n. 16. (addens ex Navar. in *man. c. 24. n. 8.* ante hanc constitutionem hos pensionarios ratione pensionis non fuisse obligatos ad preces aliquas fundendas) Corrad. in *pr. benef. l. 1. c. 5. n. 160.* Azor. *loc. cit.* dicens, constitutionem illam tenere & ligare. Barbof. *loc. cit.* Garc. *loc. cit.* n. 69. citans præter alios Ledesm. p. 2. tr. 9. c. 4. *concl. 6. difficult. 2.* Vegam. p. 2. c. 65. *casu 1.* Rodriq. to. 1. c. 140. n. 5. Aragon, & c. qui dicant hanc constituit. esse usum ac consuetudine receptam. Contra Valent. to. 3. 2. d. 6. q. 2. p. 10. Cuchum, Vivald. & alios, qui dicant non esse usum & consuetudine receptam.

3. Respondeo ad secundum secundò, teneri ad hoc istiusmodi pensionarios sub amissione fructuum, seu onere non faciendi fructus suos, & eos perceptos restituendi. Azor, Garc, Lott. *ll. cit.* juxta ipsa verba dictæ constitutionis Piana. Et quidem cum proportione ad beneficiatum omitentem horas canonicas, ita ut sicut ille, si omnes horas unius diei omitat, amittit fructus correspondentes illi diei; ita etiam pensionarius ille omitens dictum officium unâ die, amittat fructus, seu partem pensionis correspondentem illi diei. Azor. *loc. cit.* itidem juxta eandem constitutionem utpote in quam, postquam declarasset Papa, qualiter amissio illa fructuum ob omisum officium canonicum à beneficiato adaptanda & proportionanda singulis diebus, & omisionibus, subjungit: pari modo ad dicendum officium B. Virginis se obligare pensionarios. Idem sentit Barbof. *loc. cit.* ubi ait, teneri hos pensionarios sub eadem pœna ad recitandum hoc officium B. Virginis, sub qua tenentur beneficiati recitare horas canonicas, teneri quoque sub mortali peccato tales pensionarios ad recitandum dictum officium B. V. ex Graff. l. 2. c. 50. tradit Lott. *loc. cit.*

4. Varias nihilominus limitationes harum binarum responsonum ex Bonacina *de horis can. d. 1. q. 2. p. 4. n. 7. & 8.* adducunt Ventrigl. & Barbof. *ll. cit.* Primò, quòd si pensio reservata in caput seu personam unius in commodum alterius, ille solus teneatur dicere officium, in cujus commodum pensio constituta. Secundò, non teneri illum ad recitandum hoc officium, cui confertur pensio absque prævia conditione status clericalis, etiam si is alias esset regularis. Tertio, quòd, qui ut clericus percipit pensionem, satisfacere possit recitando horas canonicas; quin & quòd talis pensionarius sacris initiatus, vel habens præter pensionem beneficium, satisfaciatur sola recitatione horarum. Quibus adde limitationem illam; quòd dicta constitutio Piana loquatur de eo tantum, qui pensionem ut clericus percipit, ita ut percipiens pensionem titulo sæculari non teneatur recitare dictum officium, sive sit pauper, sive dives, sive pensio excedat sexaginta ducatos, sive non. Garc. *loc. cit.* n. 68. contra Vegam perperam pro se citantem Rodriguez, Econtra tamen etiam has binas ampliationes subjungit Barbof. *loc. cit.* n. 14. ex eodem Bonacina, nimirum eum, qui cessit pensioni solum in parte, non deobligari à recitatione dicti officii (secus ac ille, qui in totum liberaliter cessit pensioni) quia adhuc titulo clericali possidet pensionem. Idemque, hoc est, teneri adhuc recitare illud

officium tanquam probabile videri Bonacina de eo, qui concessit redimi pensionem, acceptâ nonnullorum, pura sex vel quinque annorum anticipatâ solutione.

*Questio 538. An pensionarius ratione pensionis teneatur ad residentiam, vel servitium per se, vel alium præstandum in Ecclesia?*

**R**espondeo negativè: Idque etiam si intitulus esset. Ventrigl. *loc. cit.* n. 91. citans Gonz. ad reg. 8. gl. 5. §. 5. n. 11. qui plures alios refert. Quod tamen intelligendum, nisi pensio assignata esset in stipendium, v. g. pro pulsandis campanis & similibus. Ventrigl.

*Questio 539. An pensionarius id, quod sibi ex pensione superest, teneatur ex justitia in pios usus impendere; an verò possit pro libitu disponere de fructibus ex pensione perceptis, quin & testari?*

**R**espondeo ad primum: Non convenire in hoc AA. nam affirmant aliqui cum Nav. *de rediv. Eccles. q. 1. n. 74.* apud Azor p. 2. l. 8. c. 12. q. 4. pensionarium non secus ac beneficiatum ad hoc compellendum esse, eò quòd pensio sit quædam portio ex fructibus beneficii detracta; fructus autem beneficiorum cum hoc onere ad quolibet perveniant, ut quidquid ex ipsis supererit, in pios usus cerogetur. Econtra durior videtur aliis hæc Navarri sententia, & oppositum censent Azor *loc. cit.* citans Covarr. *de testam. c. cum in officio, n. 6.* Gig. *de pens. q. 52.* Paul. Rom. *de pens. q. 8. vers. 10.* Redoan. *de spol. clericor. q. 5. §. 1. n. 27. & 28.* eò quòd, quidquid sit de beneficiatis, pensionarius nullo jure canonico communi id facere compellatur; cum pensio detur tantum in alimentum vitæ necessarium, & non ratione ministerii alicujus spiritualis, adeòque, si quid ex hoc alimento supererit, ipsi acquiratur, & nulli alteri ex justitia debeatur.

2. Resp. ad secundum: Similiter in hoc non convenire AA. nam posse de fructibus pro libitu disponere pensionarium negant Nav. *loc. cit.* Sarmient. *de rediv. Eccles. p. 3. c. 5. n. 7.* affirmant econtra Azor *l. c.* citans Covar. Gig. *ubi ante,* ad quos accedit Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 8. n. 3.* eò quòd jura id vetent solum de beneficiatis: quin & ne quidem de omnibus beneficiatorum bonis statuant jura, sed pro iis tantum, quæ ratione & jure Ecclesiæ acquirunt, quia hæc tantum sunt, quæ in Ecclesiæ usum converti debent, vel successori in beneficio relinquunt: at pensionarius neque sit beneficiatus, neque fructus percipiat jure Ecclesiæ, sed jure resignationis, gratitudinis, aut simili sibi in alimentum & vitæ subsidium concessio. Castrop. *loc. cit.* proinde nec obstat, quòd ex beneficiorum fructibus percipiuntur pensiones, adeòque videantur obvenire pensionariis cum eodem onere, quo fructus beneficiorum beneficiato; cum, ut dictum, pensionarius non percipiat pensionem ratione & jure Ecclesiæ, cui inserviat, sed ut portionem quandam ad vitæ sustentationem necessariam. Azor *loc. cit.* Hinc

3. Respondeo ad tertium: Testari posse pensionarium de dictis fructibus, affirmant ex eadem ratione iidem AA. Azor. *loc. cit.* (quamvis *cit. l. 8. c. 3. q. 8.* teneat contrarium cum Redoan. *de spol. clericor. q. 2.*